MAXIMUM DEI DONUM AMOR ORATIO IN DIUINI SPIRITUS ADUENTU HABITA IN...

Vincenzo Maria Filippo Cavalcanti





MAXIMVM DEI DONVM AMOR

ORATIO

IN DIVINI SPIRITVS ADVENTV

HABITA

IN SACELLO PONTIFICVM QVIRINALI.

A CANONICO VINCENTIO MARIA FILIPPO CAVALCANTE FLORENTINO.

Sem. Rom. Conu.



ROMÆ, Typis Ignatij de Lazaris. M. DC. LXXII.
SVPERIORVM PERMISSV.





LVDOVICO XIV.

GALLIAE, ET NAVARRAE REGI CHRISTIANISSIMO.



Pontificis Maximi auribus, quibus perbenignè excepta, dùm diceretur, fuit, tuis Regum Maxime LVDOVICE oculis, timidè licet ex conſcientia tenuitatis ſuæ, ſiſtere ſe tamen amat Oratio mea: tùm, vti ſuus in typorum lucem exortus auſpicatiſſimi ſideris aſpe-

&tu illuſtretur ad horoſco-pi felicitatem, tùm, vti propagati in me, vna cum ſanguine, auiti erga Regiam Maieſtatem, ac Domum tuam famulatus, qualecunq; monimentum exiſtat. Humaniter vt illam admittas, impetrabit à te; ni fallor, partim ingenita facilitas tua nullis non pijs deſiderijs commoda, & patens, partim Orationis ipſius titulus Gallorum Regum gloriæ iamdiu fami-

liaris. Beneficam ſiquidem Spiritus illius effuſionem gratulatur, cuius auſpicijs, atque nomine cohoneſtatus nobiliſsimorum Equitum Ordo te capite, & Magiſtro regitur. Quanquam non inſignibus, ac nomine tantùm in tuos venire titulos ſpirabilis ille Cæli amor contentus fuit; ſed arcanis etiam infuſus præcordijs, èque alto irruens in alterum veluti Galliæ Sampſonem, con-

filium, viresque aduersus perduelles Philisteos, Dei, iustarumq; potestatum hostes exacuit. Et quid non honestorum ignium in isto regio pectore cælestis illa mens excitabit? Quid heroicorum operum tali authore intus vrgente non ipse suscipies? Pergat hic magnanimam tuam mentem animare amicæ Diuinitatis halitus, plenioribusque in dies nouorum Charismatum fluentis se illi su-

perfundere : Nequaquam iam Solimæ Gallia, nequaquam Europa, defuſos olim è Cælo flammearum linguarum imbres inuiderit ; Si Galileos tunc populares afflans diuinus ignis Dynaſtis, Regibusque ſalutis iter oſtendit ; regali nunc in pectore ſedens, quoſcunque latè populos noua ſalutis, letitiæque luce illuſtrabit .

Maieſtatis Tuæ

Deuotiſſimus .
Vincentius Caualcantes .



ORATIO.



Onum factum B. P. Impleta sunt mortaliũ vota, immo superata, & quodãmodo dexterim obruta. Rorem a nubibus petebamus: effuderunt Oceanum. Non quodlibet ex Dei donis, sed illum ipsum, quo diuina completur Trias, purissimum, ineffabilem, sempiternum amorem, per omnia se vitaliter insinuantem, animæ omnis, letitiæque fontem accepimus. O in vno munere totam exhaustam altitudinem diuitiarum beneficentiæ, & charitatis Dei! Quiesce iam humana cupiditas, ferientur gemitus, conticescant preces: vel si, post tantam in te Diuinitatis effusionem, adhuc vota superfunt, non Dei munificentiam, sed tuam potius capacitatem augeri deposce; totam vt haurire possis, qua mi-

minor es, inundantem à Cœlo felicitatem. Vel enim me ratio cogitantem fallit, vel orando euincam, quidquid benignitatis in homines a Cœlesti luminum Patre descendere potest, totum cum hodierno Spiritu, Amoreque plenissimè fuisse profusum.

Et sanè quæ vnquam boni conditio alteri dono adesse possit, qua non excellat Amor, si nullum sine Amore bonum fortunare hominem potest? Siue enim gentilitij luti fines egressa intuemur munera; & illa non nisi scintillæ sunt beatissimi huius, de quo loquimur, ignis: siue quæ intra Naturæ limites iacent attendimus beneficia, & illa sacræ dilectionis afflatu vacua, quid tandem habent cur magnopere expeti debeant? Suopte ingenio leuia, nostro etiam experimento periculosa, deploratæ potius sortis solatia, quàm beatæ præsidia. Profectò ita res habet: Medulla omnis fructusque felicitatis amor est: Blandimenta sensuum, deliciarum vsum, rerum ac supellectilis copiam, putamina illius quædam, & inanes exuuias meritò dixeris. Vt sapienti plane voto morum ille censor, scelestos homines vltimis impre-

cationibus deuouens, vnius ipsis amoris inopiam, in vbertima, cæterarum affluentia rerum, optauerit, *Montibus aurum exæquet, nec amet quemquam, nec ametur ab vllo.* Quæ si de terreno amore, auido, fluxoque licet, non splendidè magis; quàm verè dicuntur, quid nos de diuino immutabili, æternoq; sentire par est? Vtrum quidquam præ illo expetendum ducemus? an omne beatitatis instrumentum, & supellectilem boni ab eo vno expectabimus?

Adde, quod non omnia solùm ille amici Numinis dona perficit, sed ea insuper ex opulentia suæ gremio, veluti fons riuos effundit. Quis porro nesciat, longè limpidiores perenniorésq; apud fontem aquas erumpere, quàm per canales decurrant? Certè si quæuis Natura penitiùs in origine & causis, quàm in se ipsa cognoscitur, cur non etiam omnis diuinorum Charismatum copia iucundiùs, pleniùsque in amore, qui omnium principium & fons est, possideatur?

Verùm quid ego cæteræ Dei liberalitatis complementum, & causam hodiernum munus vocaui? Retexere orationem cogor.

Nul-

Nulla præter ipſum liberalitas, nullum donatiuum eſt in diuinæ bonitatis ærario. Totam ſe licèt illa noſtros in vſus profundat, vna tamen charitas, quâ primò diligimur, gratuitæ largitionis titulum aufert; quidquid vltra additur, neceſſarij officij ſolutio eſt. Nihil enim non ei debemus, cui dilectionem ſemel impendimus: & non amare quidem integrum erat: amatum non opibus augere minimè licet. Solum itaque Amorem Deo, Amori debemus cætera omnia: ille nobis liberè datus eſt, illi reliqua ex debito: Vt idem, & maximum, & vnicum ſit Dei munus, cumque omnia ſecum inuehat, nihil à nobis tamen, niſi ſe, patiatur deberi.

Quid igitur extra Charitatis Spiritum optemus mortales, ſi nihil ſupra charitatem largiri poteſt mortalibus Deus? An latiores ſunt noſtræ cupiditatis, quàm illius beneficentiæ termini? Profectò felicitatem ſuam non nimis amat, ſed parùm intelligit, quisquis non in eo dono vota omnia gaudiaque conſumit, in quo ſuam Deus omnem potentiam, & bonitatem exhauſit.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

Io. de Ang. Arch. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Ap. Magist.

